
DE
AGRICULTURAE NONNULLIS NUNC CUM MAXIME
CONSIDERANDIS CAPITIBUS.

Omnes disciplinae exiguis ortae initiis, quanto latius amplificarentur, pluriumque hominum studiis sensim sensimque colerentur, tanto plurium accessione partium auctae vel per se satis gravitatis habere coepisse mihi videntur. Documento est prae ceteris agricultura, quae, si originem spectes, antiquissima est, si ambitum, per totum fere terrarum orbem propter quaestus necessitatem pervulgata, si denique scientiam, qualis ea fuerit diversis temporibus et regionibus, conditione usa est diversissima. Cujus quidem diversitatis caussae non tam in terrarum situ, quam in diversis earundem institutis quaerendae sunt. Inprimis enim floruit agricultura antiquitus in Aegypto, et in China eadem hodie magni habetur. Sed in Romano imperio iniquam sortem experta est, dum Carolus M. istam feliciorum reddere conaretur, qui dolendum est, quod non tales successores habuerit, qui mentem ipsius intelligerent et consilia persequerentur. In Germania autem superiorum temporum perversitate factum est, ut ante medium seculum XVIII., qui hunc quaestum exercebant, in magno adhuc essent contemptu. Hinc illae catenae, quibus etiam nunc quaestus ille multis modis constrictus tenetur. Hinc illae lacrymae! Exinde vero insigni quorundam agricolarum industria, exemplo et praeceptis diligentius tractari disciplina coepta est, et magis excoli, adhibitis in usum historia naturali, botanica, chemia,